



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XIV. Dom. I. Quadrages. Acherontica libido.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

*****:*****
 CONCIO XIV.
 DOMINICA I. QUADRA-
 GESIMÆ.

Vade Sathana. Matth. 4.

Acherontica libido.

Hem impudentem, hem insolentem diabolum! cogitat hodie ipsum Deum supplantare trifurcifer; hunc tertia etiam vice aggreditur, & quasi de palma certus jam ante triumphum sibi ultrò victoriam occentat, at belli aleâ penitus eversâ, nil inde quàm multiplex probrum & duplicatâ retulit tormenta. At quàm horridis assultibus nos irruet, qui nequidem Deo pepercit. Quærunthodie interpretes Script. quo ritu, quâ formâ ternas tentationes dæmon expediverit? enucleat hanc quaestionem unus Salmeron, (1) dæmonem semper aliam & aliam formam assumisse persuasus, ut rudibus insidiis Christum caperet; prima forma fuisse dicitur senecionis eremicolæ, quâ exploratum venit, an ipse veri nominis Messias esset, vel tantum Prophetâ? hunc in finem voces dirigit ambidextras: *si filius Dei es, fac ut lapides isti panes fiant*, quasi diceret nequam: de te audio prodigiola: dedit tibi testimonium Joannes, vox etiam cœlô lapsa dicitur præclamans Messiam; ajunt etiam capiti tuo cœlicam hæsisse columbam, ante ac post nativitatem tuam prodigiola signa in cœlis visâ in terris, unde plerique colligunt, te notæ vulgaris prophetam non esse, sed fortè Dei Filium, Messiam Deum; Deus verò si fueris, omnem utique inediam proscibes; utere Divinâ potestate tua, & saxa hæc in panes transforma. Id tuam si potentiam transcendat, falsum de te testimonium dixerit Joannes, & vox desuper lapsa fictitia fuerat & fucatâ. Graviter nos diabolus tentat, si nobis exprobrat,

(1) Salm.
t. 4. p. 1. tr.
12.

A.
Forma exterior
tentatoris
hodierni
excititur.
Prima fuit
Bremico-
læ.

probrat, nos à nobismetipsis enormiter defecisse; si vires nostras fugillat; si nostram scientiam diflat. Hæ tentationes etiam piis & ad perfectionem vitæ tendentibus viris periculose sunt. Centies hic superbia profultat, & vires crepat jactantia; quid? hanc causam ignorem? hæc negotia non expediam, qui olim hæc & hæc? nesciam huic malo cuneum objicere? nesciam hanc controversiam sopire? Deus autem, quis esset, nec verbulo prodidit (2) *charitas non irrisatur*, dæmoni re- (2) 1. Cor. sponsum dedit in omnes partes versatile: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ab ore Dei.* Dæmon cibos urget corporeos, DEUS reponit mysticos. Dæmon corpus pastum vult, antequam anima pascatur, DEUS verò ex ordine procedit, *quæri vult antè Regnum DEI* (3) tum (3) Matt. 6. adjici residua. His actis *angeli accesserunt & ministrabant ei.* Sic prima dæmonis arietatio in Christum tentata casta fuit & irrita; at necdum hesperis phœbus caput abdidit undis; iterum aleam tentavit stygifax, & Angeli formam indutus ad pinnam usque Jerosolimitani templi Christum detulit dixitque: *si filius DEI es, mitte te deorsum; scriptum est enim: angelis suis mandavit de re, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Quæso, cur se viâ tam prolixâ per orcinum alastorem portari passus est Servator? numerat Cornelius ab Eremo Jerosolimas usque quatuor milliaria germanica majora seu octo horas. Tulit hunc avernalem veredarium, ut ei consilia turbaret; sic tacitè secum dæmon arguit: DEI filius si fuerit homo iste, me utique dignoscer, novit me? se à me tangi non patietur, multò minus portari, mihi potius audax & temerarium facinus approbrabit, quàm Dei filium atrectare præsumam. Sed tacuit ad singula Servator, seque à Jericho ad unum Jerosolimitanum templum deferri permisit; hic novas insidias Deo tetendit: noluisse saxa in panes transformare, jam saltem te hinc demitte, ut sanctimoniam & virtutem tuam manibus palpet præfens populus, si Angelos videat Majestati tuæ servire, manus suas pedibus tuis substernere, ne ad lapidem pedes offendas. Utitur hie loci nebulo Scripturæ testimoniò, more vel hanc in horam hæreticis recepto. Quidquid inde parvæ servit intentioni,

Q3

tionis,

(4) S. Bern.
ser. 14. in
Pl. 90.

tioni, pompaticè allegatur; quod autem evidenter pravitatem retundit, silentio involvitur, audiatur hanc in rem (4) Bernardus: *Angelis suis Deus mandavit de te; sed quid mandavit? attendite & videte, quoniam subiticus malignus & fraudulentus impostor, quod malignitatis sue commenta dissolveret. Quid ergo mandavit? ut custodiant te in omnibus viis tuis. Sed nunquid in precipitiis? qualis hæc via, te pinnaculo templi mittere se deorsum? Hæc non est via, sed ruina, & si via tua est, non tamen illius est via.* Hæc Bern. Idem in hoc Scrip.

(5) S. Hier.
in pl. 90.

loco notavit (5) Hier. *tacuit nequam, quod scrivit esse contra se; posuit, quod novit pugnare pro se. Dic nequam etiam illud, quod sequitur: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* His nempe se premi novit stygius veterator. Porro dæmon per hanc suam transportationem minimè studuit Christi gloriam & famam ejus augmentare, sed eam potius in populo mutilare, inò evertere, ac dissipare; visus enim fuisset per aëra ferri, ocius Christ. in veluti magnum proclamassent Hebræi; sic totus prædicandi fructus vanuisset, at non est prudentia, non est providentia, nec consilium contra Deum; has omnes seu machinas seu fallaces insidias DEUS pariter S. Script. effatis ita disjecit, ut tamen stygius alastor inde nihil certi concludere posset. Ferri se passus est ab orco per aëra, ita tamen, ut nemo mortalium id oculis suis penetraret. Descensum è pinnaculo paucis voculis enervat: scriptum est, *non tentabis Dominum Deum tuum.* Sic alteram tulit repulsam impudens acheron.

C.
Tertia Re-
gis.

Tertium arietem terreum Regem indutus in Christum detonuit; ut sic enim Christum denuò ultra duo milliaria secum tulit in præaltum montem, qui vel hodie, adrichomio teste, *mons dicitur diabolicus.* Ex hoc montis fastigio ostendit ei regna mundi velut alter mundi hujus Monarcha, spondet, jurat, hæc omnia se daturum, si humi fatus ipsi tanquam filio Dei cultum esset latræ delaturus. Deum bonum! quid rudem diabolum ad tam enormem insolentiam abstraxit? cogitabat secum impius nebulo, si filius Dei fuerit, excandescet ocius ac justa in me bile accensus dicet: quid jam denuò in me maledicte spiritus? iterum thronum tuum perfide supra nubes collocas,

cas, & major esse gestis Deo tuo? te Satanam Dei filius adoret? apage phlegeton! tu potius Deum cole Dominum ac Conditorem tuum &c. hæc & his similia presentabat dæmon; sed nasò suspensus adunè hæc etiam vice repulsum tulit, jam ferio per Christum profligatus. Justam utique iram in Satanam Deus concepit, at ira hæc neque verbulum protensit, ex quo dæmon modicam Divinitatis notam argueret. Propulsato Alastori ecclestes aligeri succedebant, Deo suo prompta obsequia delaturi.

Has inter numero ternas tentationes multa essent, quæ sanè splendidum ac perutile objectum agerent prolixi sermonis; sed nihil horum attingere mens est. Miror ego hic loci dæmonem has tantum formas representasse, eremicolæ, Angeli & terreni Monarchæ. Cur non aliam induit? hæc tres formæ viros referunt. Cur non se totum una saltem vice in feminam transfiguravit? pellexit Christum ad gulam, ad superbiam & jactantiam, ad avaritiam & ad turpem idololatricam; at cur eum non pariter ad libidinem, ad luxuriam provocavit, quod nunquam citius assequi potuisset, quam si formosissime veneris formam ac speciem assumpsisset. Nihil tritius est diabolo, quam viros per feminas proflernere, feminas per viros seducere.

Chryl. teste (6) *nulla machina ad armandum hominem potentior est quam femina.* Ambrosio Authore (7) *usitatus ad decipiendum sexus est sexus femininus.* Oleaster (8) nequidem aliqua vitæ sanctimoniam conspicuis mulieribus vult universariam fidem deferri: *licet sanctissima sit* (verba sunt Oleastri) *de dolo tamen, de furo & de artificio loci mendaciorum semper est suspecta femina.* Cur ergo Satan hic loci nullius feminæ speciem arripuit, cum ea tam potens haftenus fuerit, ut etiam sapientissimos Salomones infatuaret. Opt. Aud. dæmon ipse in mora non erat, quò minus promptus etiam hodie furatos feminæ vultus referret. At noluit Deus in conspectum venire formam muliebrem. Nullum scelus tantò prosequitur odiò Deus quam carneam libidinem & fœculentam superbiam; fornicationem ne quidem nominari voluit juxta (9) Paulum. Ausus adeò non fuit pessimus lavernio, Christum Dominum ad obscenam libidinem extimulare, quam odiò

D.

Cur non etiam formæ formam assumpsit?

(6) S. Jo. Chryl. in Job.

(7) S. Ambrosii, Ser. 40.

(8) Oleastri in Gen.

(9) Eph. 5.

pro-

profunderet vatiniânô; ad hæc vidit nebulo, irritam fore hic loci omnem hanc tentationem, ubi tam immanibus jejuniis totum corpus emaciatur, nec mucido pane fami pellendæ indul- to; omnis enim libido mox solum vertit, ut primùm seriò ca- ro nostra debellatur, & pedem figit solas inter lauticias, quibus carni & vel maximè ventri servitur. *Sine cerere & baccho friget venus*, ut primùm ante octiduum fufius probatum.

E.
Forma
muliebri
homines
cæcos
multoties
decipit.

Hic autem Opt. AA. se omnes mundicolæ probè obser- vent, ne in casset incidant diabolicos. Coram Deo hanc mu- lieris formam mentiri non potuit diabolus, hanc autem centies imò millies nobis mentitur. Deus etiam iustis ex causis per- mittit, ut viri per formam femininam, femine per masculam centies destruantur & perdantur. Si nullum aliud argumen- tum suppeteret, ut totis viribus omnis libido ejuraretur, hoc unum, meò quidem iudicio, abundè sufficiat ad nuntium car- nalibus illiciis ex animo transmittendum, quòd sciatur, dæmo- nem toties bellæ veneris personam coram viris libidinosis, imò etiam pluribus aliis, & vicissim viri petulantis, aut luxuriosi adolescentis formam coram femellis assumpsisse. Possent plu- rima hujus transformationis seu assumptionis exempla produ- ci; sed quis una hora, uno die singula illorum expediat? ex pluribus unum extraho plus aliis notabile, quod tres hodie magni nominis Scriptores suis visi sunt calami explanare. Pri- mus horum est Franciscus (10) Rossset Gallus. Alter est Be- nignus Kibler (11) primi candoris germanus. Tertius nobilis Belga est Henricus Englgrav (12) decantatissimus Ecclesia- stes. Primi duo quod factum est, accidisse perhibent Lugdu- ni (Lion) in Gallia mercatorum memorabili emporio, unde cum Pilato bipedum nequissimo, ut nuperrimè diximus, tot ad oculum fucatæ merces hæcenus prodierunt. Tertius pro Lug- duno ipsos ponit Parisios, cui urbi sequens factum adscribit. Quidquid sit de nomine, nos rem expendimus. Nominum im- mutatio non potest tragœdiam reddere suspectam, quia in o- mnibus aliis bellè omnia conspirant. Adhæc potuit fortè quod bini tribuunt Lugduno, etiam Parisiis accidere; novi enim ni- hil est toties quoties à Deo permittitur, in obvium cadaver dæmonem irrepere, illud fucis & pigmentis, vestibus & comis
ita

(10) Ros-
set. Theat.
exempl. 1.
(11) Kibl.
p. 1. f. 1253.
(12) Engl-
gr. p. 1. f.
170.

F.
Tragicum
illig exem-
plum ad-
ducitur.

Hist.

ita liberaliter exornare, ut damam referat aulicam orcinus fa-
telles. Rosset signatè inquit, hæc negaturo, negandum prius
diem clarescere sub meridiem, *cùm facit exiguas jam Sol al-
tissimus umbras.* Ibi ergò, ut ajunt, fuit quidam martialis
Subpræfectus (vulgò Leutenant) *Lajaquire* dictus, à luxuriante
petulantia toti pœnè urbi notissimus. Rarè suo nomine proprio
salutatus est ab incolis, ut plurimum, setiger hircus, hircinus
porcus, & urbis esrenis taurus audiebat. Huic omnium pra-
vitatum patenti diversorio munus commissum est, totam ur-
bem cum suis intempesta nocte lustrandi, ne quid mali inco-
lis somnò meritis, urbem corripere. *O bellum custodem ovium
ut ajunt lupum!* non poterat deterior ad hanc spatham no-
ctu tuendam assumi. Errabat utique per omnes plateas cum
affectis suis in omnem pariter vafriciem projectis, lustrabat æ-
dium angulos & fornices, ita tamen, ut hunc veri nominis præ-
donem eminus fugerent, quibus in pretio erat angelis cogna-
ta integritas. Querebantur passim infimi & medioximi; ac
justissima crisi summa urbis capita proscindebant, quod tantis
flagitiis cooperto lurconi nocte tota urbem atque urbis plate-
as committerent. Tam luridis hominibus pessimè officium
traditur, unde tot alii vitâ corporis & animæ simul periclitentur.
Quidquid hinc mali prognascitur, horum lurconum patronis
accessit; tollantur potius è medio, vel in ordinem redigantur, ex-
auctorentur, & ad ultimam thulen profligentur, *impietas quorum
corde profana premit*: ut ne Deus cogatur cum damno tertii
hoc grassatorum procax genus per sathanæ satellites elimina-
re, prout hic legimus accidisse. Lustrabat fortè more suo post
noctis decimam urbis suæ plateas, sinus omnes atque angu-
los luxuriantibus jocis ac petulantibus facetiis conspurcans.
Alia inter oris impudici phlegmata has etiam sordes ridenti-
bus sociis evomuit: se hodie præter morem flammæ ardori-
bus æstuarè, nescire quid stomacho sit ingestum, unde tanti
æstus totum hominem corripere, sopienda esse hæc incendia
quocunque tandem modò: occurrat etiam ipsa hodie proserpi-
na, vel medusa, hos unguis non evasuram. Vix orcum ex-
civit lurco petulans, vident eminus ex angiportu prodire, ver-
nâ seu rectius lucifero grandem tædam præferente, nobilem
R damam,

damam, cultu luxuque meretricio splendide ornatam. Gaudēbat impudens præfectus hanc prædā eminus visā, in id unice intentus, quibus technis hanc properè potiretur. Prostrabat ipso è vultu transeuntis damæ impudentiæ hedera fors suspensa; sic omnes in partes oculos gyabat, ore leniter cacchillante fortius identidem facibus veneris procum suum perstringens; placuit hæc damā præfecto, & ita placuit, ut amandatis omnibus, binis tantum sociis stipatus, se totum damæ hujus obsequiis dicaret, eamque domum usque comitaretur. Rogata unde tam serò nocte intempesta, id pro responso dedit, quod focum veneris intestinum plus ultra inflammavit: fui, inquiebat illa in vicinis ædibus, ad cœnam; meis ab amicis invitata cum conjuge meo, qui cum vinò sepultus pedem locò dimovere non possit hodie, sola cogor lares revisere, ne omni dominiò vacua stet domus nostra, aliorum furacitati obiecta. Bella responsio, quæ veluti magnete in sui sequelam intentem hircum attraxit. Actum est de pudicitia, ubi proci mulier viri sui absentiam proclamat. Ganeam ac lustra oleæ scortum, quod intempesta nocte solitudinem allegat. Honesta uxor viri sui præsentiam & mariti vigilantiam potius præterdit, ut ut sæpè mendaciò assertum firmetur, ut tantò certius fidem servet comparti suæ integram, inconvulsam. Nolent milites, quid sub hoc fucato, & cærusâ picto vultu lateret, multoantè in horridam solitudinem migrassent, quàm huic damæ loquerentur. *Fide sed cui fidas vide; frons, oculi, vultus sæpè mentiuntur.* Bella facies, Diogenes dixit, cum in foro prostantes heroas cerneret, at cerebrò carent. Spesiola frons est, sed in fronte multoties frontem exquiras. Credebant improbi, se cum formosissima Galliæ dama familiariter colloqui. Amphibologica vox *dama* est: ut pueri sciunt abecedarii, cum *dama lynxq, penusq, &c.* etiam sylvestrem capram denotat ceterioris Africæ procacem inquilinam; talis capra hæc ipsa erat dama, cujus si pedes imos vagi nebulones lustrassent, ipsis è vestigiis capram deprehendissent non Africæ pecus, sed Plutoniæ. Sequebatur eam velut alteram Græciæ Helenam procax ternio, donec fictile palatium à lucifero terra recluderetur. Domum admissi ad supremam ædium aulam penetrabant, ami-

cè à dama esculentis & poculentis excepti. Hic ut paucis omnia comprehendam, noctis & nocturnæ solitudinis beneficio abusi, in omnem procaciam, libidinem & luxuriam effusi, pravis amoribus cœco impetu abstracti litabant dum clarum manè fenestras irrueret, Exhaustis turpibus cupediis, unà omnes, more his lurconibus recepto, divinam damæ hujus formam extollere, prædicare: hic explicatam frontem, & ante frontem pendulos curaque eventilatos crinium annulos celebrare: Alter bina oculorum lumina, veluti duo sidera cœli, & dignos Paphiâ digitos & eburnea colla, linguæ orisque decus & niveo mistum candore ruborem, cœlo laudibus æquare, tertius os humerosque Deæ similem, pulcherrimarum pulcherrimam vociferari, in qua omnes gratiæ & charites residerent, ut formosior nec fingi posset, nec ullis artibus effigiari. Risit ad hæc formæ cantica præsens dama, & totius oris gratiam has ocuis in voces resolvit: nimis largi & liberales meam in formam extitistis Domini mei: omne quod est nimium, vertitur in vitium, Illa ego non sum, quam tot honorum titulis condecorastis. Forma, quam vidistis, informis est, & à vero enormiter distincta. Vultis veram mei speciem intueri, huc oculos & nares advertite. His dictis vanuit illicò tota damæ pulcherrimæ forma, & in vicem tetricum putridumque cadaver successit, ex quo grandes flammæ promicabant, ut scirent Proserpinam fuisse aut Meduram, cui tota esset nocte litatum. Mox etiam tota ædium aula cum spectro simul & palatio disparuit, ita quidem, ut nihil præter diruti ædificii vetustissimâ ruderâ remaneret, cui ponè adlita erat immanis cloaca, sordium omnium graveolens receptaculum. Hâc sentinâ mersus erat ternio, quasi fulmiæ tactus ab alto, horrore ac mephiti propemodum enectus. Unus illorum metu ac terrore perculsus mox obriguit: paulò post etiam præfectus animam exspuit porcinam. Tertius tantum, ut Englgrav memorat, orto Sole per vicinos semivivus è cloaca protractus, illam à Deo gratiam accepit, ut corpus simul & animam purgaret, Sacrisque omnibus ritè præmunitus vitam fato concluderet pœnitente. Quarto post die hic

R 2

etiam

etiam funus fuit, sed, ut sperare licet, in gratia per pœnitentiam reparata extinctus.

Hæc sanè fabula non est, sed veri nominis historia. Ut Rosset meminit, adhuc ante 60. annos vitam mortalem spirabant in Gallia, qui tunc à præfecto dimissi erant, ut ejus loco plateas lustrarent, testes oculati transeuntis damæ & formæ illius procaces arbitri, palam fassi, hac in dama formas omnium formosissimas confluisse.

Hem proci & amasi, quàm lubrica fides dæmoni deditur & efrontibus semellis. Centies cereis & tenellis prolibus cum retrò Abeunt, occini audias: quid occipis maligia? antrorsum viam cape, retrorsum eundo rectà dæmonis finem involabis. Hæc pariter dicta sunt omnibus noctuis & vespertilionibus sociis, qui noctu animas innocentes prædantur, excurrunt, ac seram in noctem lascivæ veneri famulantur. Dæmonis rancor, quò in nos exæstuat, idem est hodie quò olim. Si DEUS permittat, hòc avò centies formam induit femininam, ut lascivientes viros supplantet. Nolite huc Almodæo fidere juvenes virgines, pueri ac puellæ, viri feminæ. Petro teste (13) *tanquam leo rugiens circuit quem devoret.* Latrat, sibilat, rugit, grunit, adulatur & tumultuatur, ut animam mergat abyssò, odiò semper implacabili omnes in homines accensus. Legantur Delrio. (14) Rosset (15) & (16) Stengelius, ad oculum patebit, quoties orcus viri formam ut feminas deciperet, feminæ formam ut viros everteret, induerit; ut plurimum autem hæc formâ in umbris utitur concubia nocte, quando in tenebris proci conveniunt & procillæ; ita in tenebris nec à cornibus suis, nec ab hircinis pedibus, aut unguibus dignosci potest; ut enim hi Authores memorant, dæmon hominem vivum repræsentare non potest, quin secum ferat signum aliquod orcinum v.g. cornua, nares simias, oculos rutilantes, pedes caprinos, ungues prædatorios, caudam & alia. Cum autem amor maxime venereus totaliter cœcus sit, facile poterit ab orco etiam sub meridiem circumveneri, prout his noctu accidit. Ô tragicam! Ô funestam mortem! quantis hodie diris noctem

(13) 1. Pet.
5.

(14) Delr.
disq. mag.
f. 176.
(15) Ros.
setl. c. f. 9.
(16) Steng.
t. 2. c. 43.

Item execrabuntur, quâ carni simul & dæmoni se sciunt
 mancipatos ! ejurabunt se mutuò crepantes inter flammâs
 focii in cloaca extincti ; at serò nimium. Prius sanctius
 lustrari debebant plateæ. Multò antè claudi oculos oportu-
 it, quàm mors per s. sensuum fenestras in animam penetra-
 ret. Carni fucata non debebat ulla fides haberi. Quid si
 hac sub forma orcus delitesceret ! quid si dæmon ipse lu-
 pam mentiretur ? Credebant se nobile palatium ingressos, &
 rudera erant ; credebant se in aula deliciari, & ecce fimus,
 sterquilinium, palus mephitica, cloaca ! ita nempe suos lu-
 dit Satan & libido. Novi virum, fortassis adhuc spiritum
 trahit vitalem, qui sera nocte domum redux & nescio quo
 duce à via regia in umbris abstractus subitò in palatium ve-
 nit, ubi ad mensam opiparè instructam & multis hospiti-
 um capitibus coronatam largè cibus, potatusque tandem le-
 cto commissus est mollissimo, sybaritico. Orto sole ul-
 trò expergescit vidit se supra transversam patibuli tra-
 bem jacere, juxta pendentibus binis, recens in furcam a-
 ctis furibus. Licet se probè factum crederet cubitum con-
 cessisse, manè tamen fame ac inedia, siti plus quàm tanta-
 lea urgebatur. Sic suos lactat diabolus. Aula ejus fimus
 est, lectica ejus patibulum est, turdi ejus ac ficedulæ sunt
 nocturæ ac vespertiones, caro ejus sæculentum cadaver est,
 jusculum ejus pus & cloaca est, bellaria ejus fungi sunt,
 fuci sunt, & equini ficus, malvasia ejus turpe lotium est,
 aut sanguis innocentium puerorum. His hanc in horam
 magi & sagæ saginantur, prout ipsi fassi sunt, nuntio dæ-
 moni remisit.

G.
 Dæmon
 suis pro
 molli lecto
 patibulum
 parat.

H.
 Mensa sy-
 baritica
 quam suis
 dæmon
 adornat.

*I nunc atque animam stygio committe ty-
 ranno !*

Ite nunc & diabolo fidite, qui vernis suis mercedis loco,
 nil præter æternum *va* rependit ; subinde ne tantum qui-
 dem improbæ voluptatis indulget atque his tribus militi-
 bus indulget, sed vix modicum libatam perimit & trucidat.

R 3

Ait

(17) Delr. Ait Delrio (17) adolescentem in Miniâ Anno 1260. suis ut
 dip. l. 3. q. 9. amobus potiretur, à mago in stabulum usque deductum;
 3, ff. 1. 42. ubi cum spectrum, puellæ illius, quam an abat, imagine per
 maleficii incantationes se obtulisset, perditus amator ei ma-
 num porrigens à damone parieti allisus & miserabilem in mo-
 dum necatus est; cadaver autem tanto impetu in magum est
 projectum, ut semianimis longo tempore jaceret. Adeò
 ipsum etiam orcum piget subinde feminae formam diu repræ-
 sentare.

Ad finem propero. *Felix quem faciunt aliena pericula
 cautum.* Felix, qui exemplò Christi iterum iterumque strenuè
 diabolum debellat, ei que omnem aditum in cordis nostri pe-
 netralia occludit, imò hunc & asseclas ejus rotundè profligat
vade Satana cum pravis cogitatibus tuis, & lascivis seu ioco-
 num, seu feminarum aspectibus, consortiis & familiaritatibus,
 mensis & hilaris, *intueri non decet, quod non licet concupisci*
 Greg. (18) teste. *Vade Satana* cum turpibus phantasiis, socie-
 ratibus pravis, gula & ebrietate, quæ asmodæum in perniciem
 hominum provocant & inflammant, unde animæ mortem irru-
 ant mori nesciam, stygiam execrandam, quam O. T.

O. M. clementissimè omnium à cervi-
 cibus avertat! Amen.

